

tamen P. Vatinium fecisse arguit, cuius ipse legibus in tribunatu quamvis contra auspicia latis tamen obtemperasse videatur.

- § 38. C. Caesarem Aquileiae, cum de quibusdam esset mentio facta, dixisse C. Alfium praeteritum 5 permoleste tulisse.

Et hic tr. pl. actiones C. Caesaris consulis contra M. Bibulum obnixe adiuverat; qui repulsam meruit in praeturae petitione.

Graviterque etiam se ferre praetorem aliquem 10 esse factum, qui a suis rationibus dissensisset.

Domitius Calvinus praetor fuerat designatus, qui cum tribunus pl. esset, C. Caesari constantissime repugnaverat.

Illum respondisse Vatinium in tribunatu gratis nihil fecisse. 15

Vehementer . . . iudicatum id <ab> ipso C. Caesare de indignitate P. Vatinii, ut eum iustissime repulsam tulisse is etiam pronuntiaverit, qui ei maximam gratiam debuit, ob tribunatum videlicet, in quo se Vatinius emancipaverat Caesaris voluntati. Summae igitur aequitatis hanc re- 20 pulsam facit, quae nec C. Caesari displicuerit.

- § 40. Ab illa taeterrima furia productus.

A P. Clodio, cum reum . . . Vatinius, qui adversus Milonem testimonium diceret, quod habuisse armatos videretur eo tempore, quo Cicero restitutus est. Sed hoc . . . graviter 25 in Vatinium retorsit, quod oblitus inprobitatis pristinae Milonem nunc laudaverit nuper suo testimonio lacescitum.

- § 41. Labeculam.

Notabile . . . Sic tamen veteres et aetatulam et nubeculam dixerunt. Sed hic consultius per deminutionem 30